



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. X. De Fratre Hermanno Primo Magistro terrae Pruschiae Ordinis  
Domûs Teutonicae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

- (b) Intelæ habet Jerofchinus. Alii legunt Juæle.
- (c) S. Elisabetha Andreæ Hungariæ Regis filia, nata An. 1207. & non multò post adhuc in cunis Ludovico Landgr. Thuringiæ & Hassiæ (Hermanni Landgravii filio, & Conradi Landgr. Thuringiæ & Hass. Magistri Ordinis Teutonici fratri) desponsata, cui etiam postea nupsit. Obiit An. 1231. Relata in numerum Sanctorum An. 1235. à Gregorio IX. Pontifice Perusii in Conventu Fratrum Prædicatorum. Scripsit Conradus de Marburg S. Elisabethæ vitam, quam edidit Leo Allatius *lib. I. c. 11. p. 269.* Fusius Elisabethæ historiam prosecutus est Dietericus Sacerdos Fr. Ord. Prædicatorum natione Thuringus, cujus initium fecit An. 1289. Habetur hæc Historia octo libris comprehensa adhuc MS. in Bibliotheca Electorali Regiomontana, quamvis eandem & Canisius *Tom. V. Antiqu. Lest.* ediderit. Scripsit etiam de S. Elisabetha Jacobus Montanus Spirensis apud Laur. Surium *Tom. VI. ad 4. Decembr. Conf.* & Historia Euphordiensis *Anonymi cujusdam à Pistorio editæ Cap. 47.*
- (d) Von Ziß/von Wittendorff derselbe hieß. habet Jerofchinus.

## CAP. X.

De

*Fratre Hermanno Primo Magistro  
terra Pruschiæ Ordinis Domûs Teu-  
tonicæ.*

**F**Rater Hermannus dictus (a) Balke Hospitalis S. Mariæ Domûs Teutonicorum Hierosolymitani Magister I. in terra Pruschiæ præfecit Annos XII. Hic etiam fuit primus Magister terræ Livoniæ, ubi cum præfuisset fermè VI. annis & utramque terram ad bonum statum deduxisset, & benè prosperatum fuisset bellum in manu sua, ut inferius apparebit, gravatus senio & labore, reversus fuit (b) in Almanniam, ibique mortuus & sepul-

H 3

tus.

tus. *Quam gloriosus iste fuerit in omnibus factis testantur Magnifica facta.*

## ANIMADVERSIONES.

## AD CAPUT X.

- (a) Ab aliis hunc Magistrum dictum fuisse *Saltze* testatur *Balth. Russovy part. II. Chron. Livon. initio.* & suspicatur eum sic dictum fuisse ob fortitudinem & res præclare gestas.
- (b) *Simon Grunovius* dicit *Hermannum* à *Balke* objisse An. 1238. sepultumque esse in *Zantir*. *Vid. Granov. tract. 2.* Sed quicquid sit de anno mortis; in *Zantir* non potuit sepeliri, quia tunc urbs illa nondum fuerat condita. *Vid. infra Cap. XLIV.* Notandum verò hic est in *Annis Magistrorum tum Generalium tum Provincialium* nihil esse certi. Quoniam enim *Dusburgius* noster certum annis ab ingressu Fratrum Ordinis Teutonici in Prussiam *Chronicon* suum scripsit, nullosque antè se habuit eorum temporum *Scriptores*, facile potuit aberrare. *Sequentium temporum* *Scriptoribus* prior adhuc fuit ad lapsum via. Et licet aliquando curiosius, annos quidam annotarint, conqveritur tamen de illis *Simon Grunovius* quod anni illi in *Codicibus* vetustis, quoniam fuerunt *cyfris* consignati, mirè fuerint corrupti, indè veniam sibi dari postulat, si in assignandis annis aberraverit. *in præfat. ad Hist. Pruss.* Quinimò non de *Annis* tantum *Magistrorum* hoc est intelligendum, sed de *ipsis* quoque *Magistris* hoc verum esse animadvertet, qui antiqua *Chronica* perlustrabit. *Vide quæ infra ad vitam Conradi Landgrav. Thuringia & Hassia; item ad vitam Popponis deosterna Cap. 29. & in Incidentibus ad Cap. 69. notavimus.*

## CAP. XI.

De

*Cruce & Indulgentia Crucesignatorum terræ Pruschiæ & Livonia.*

**F**R. Hermannus de Saltza Magister generalis vir providus & in